AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII VII. DECEMB. M. GVILLELMO GYON DOCTORE MEDICO MODERATORE.

546

An Cor appetentiæ sedes?

SENSVS corporis & animæ societas ad ea quæ necessaria sunt cognoscenda, homini rerum omnium principi iudex à naturâ datus est; hoc sublato perit ac dissipatur vita, cuius ὕπαρξις in virium substantiâ consistit: hæc verò ex spiritu, carnosâ specie, & solidis completa, sui non mediocrem iacturam quotidie patitur, & quæ tandem euaporabitur atque dissipabitur vniuersa nisi similis altera pro eâ quæ effluxit nutritionis ope restituatur materia. Quàmuis nihil odore nutriatur celerrimè tamen per olfactum reficiendi sunt ætherei spiritus, quorum præsentiâ ne minimo quidem temporis puncto carere potest hominis vita, quæ alioquin ἐπιλαμψεως ad septem vsque dies, & nonnunquam ad multos annos prorogatur absque vllo potu & cibo, qui naturâ calidus, tractu facilis, & tenuioribus constans partibus non sine difficultate nutrit.

VIRES auget cibus plenior, qui nonnunquam temperamento natiuo affinis, sæpissimè tamen contrarius esse debet; tuetur & conseruat moderatus, secunda valetudine vsurpandus; imminuit tenuis in quo peccatum quoduis grauius est quàm in paulò pleniore, sunt enim à repletione quàm ab inanitione curatu faciliores morbi; & idcirco artis medicæ pars princeps censetur diæta, quæ tùm ægris, tùm sanis deterius quidem sed iucundius alimentum conuenienter præscribit. Quæ cum voluptate assumuntur ea arctiùs complectitur & retinet ventriculus, sibique similia promptiùs immutat, ille cibi & potionis appetendæ est organum, quemadmodum oculi visus & lingua gustus, qui ad nutritionem est minimè necessarius. A cibo iniecto per clysterem alimentum.

NVTRITIO euacuati repletione potius quàm assimilatione definienda, coctionem sequitur, quæ assimilatio quædam est, vtramque præcedit alimenti cupiditas; alimentum internum partim sponte sua ad partes alendas fertur, partim ab ijsdem naturali potentiâ trahitur: externum quo minus indigent pituitosa & texturæ densioris corpora, sentientis facultatis ope allicit ventriculus, qui ἀσωώετος sibi vni tantum coquit, & ingestos cibos propriâ temperie actionum principio in chylum vertit. Visceribus ac venis subseruit venter, & quales hæc succos requirunt tales appetit, quos autem ipse desiderat, lingua quæ huic pro discernendi instrumento prostat, ijsdem maxime gaudet, est enim continua interna ventriculi, stomachi, & omnium quæ in ore sunt tunica, inde labri inferioris palpitatio argumentum futuri vomitus, qui in cibi abstinentiâ non sine graui ægrotantium incommodo excitatur.

ALTRIX potentia hominum & stirpium generi communis, partium vnicuique insita est, eius tamen præcipuum fundamentum in hepate naturæ filio primigenio constituendum. Quod arboribus est terra id animalibus venter, quia exhaustæ totius corporis particulæ nutrimentum ex venis à cauâ prognatis trahunt; ipsa rursus caua ex venis hepatis; istæ verò ex illis quæ ad portas feruntur; hæ tandem ex ventriculo & intestinis, quæ donec viuit homo nouum suscipiunt ac dimittunt humorem, modo sit superstes ciborum appetentia quæ sollicitante deficientis alimenti sensu excitatur. Sensus omnis est vel calidi & sicci, vel frigidi & humidi, horum vnum si exuperet aut deficiat ventriculi actio omnis vno ex quatuor modis necessariò læditur.

STOMACHVS (Καρδίαν vocant) neruos insignes habet, inde Καρδιαλγία quæ summè periculosa, sæpius cardiacis frustrà oppugnatur, odoratis roboranda pars affecta, & vnitatis diuortium doloris vnica causa prohibendum. Alterati vel humorum colluuie obsessi cordis ἔκγονα sunt cibi fastidium, βούλιμος, canina appetentia, malacia. A quibus neruis valentibus suppeditatam sibi vim habent partes, ab ijsdem malè affectis læduntur. Contrariorum subiectum idem, hinc sanitatis & morbi sedes vna, illius efficiens causa est similarium & dissimilarium partium symmetria, huius earundem ametria. Vbi sensus ibi appetitus, at verò membrorum nullum ita habet exactum sensum sicut orificium ventriculi superius, cuius inappetentia & morsus oris amaritudinem, nec non vertiginem vomitu curandam vt plurimùm comitatur.

Ergo Cor appetentiæ sedes.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS MANDAT Turonensis, anno R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Mauricius de Montrœil.
M. Guillelmus Gyon Præses.
M. Claudius de Pois.
M. Ioannes Cousin.
M. Hieronymus Goulu. P. R.
M. Symphorianus Hautin.
M. Renatus Chartier. M. R.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbaud.